

men decreverunt Regiæ auctoritati, humiliter adimplentes illud præceptum: *subiecti estote omni humane creaturæ propter Deum.* Sciebant enim, quia *in vitium culpe ducit fuga, sic caret arte.* Nam si monasterium hoc Regis injussu construeretur, forte aliquibus suspicio nasceretur, quòd hi non essent legitimi monasteriorum constructores, qui vicarij Dei, id est Regis fierent contemptores. Quòd ne fieret, B. *Manulfo* cartam testamenti ab Imperatore rogavit, quam rogatam ipsius videlicet Regis annulo insignitam accepit, acceptamque secum revexit.

*Cap. IX. De Reliquijs S. Manulfo divinitus oblati.*

Attulit etiam secum aliud multò præstantius donum, quod sine periculo licet confiteri donum fuisse Regis sempiterni. Namque revertenti, quidam familiarium ejus capsam obtulit, quam ipse inter arbusta, non fortè, sed divinitus pendente invenit. Quam velut ab ipsius Dei manibus acceptam, vir Dei veneratus est: quia cum multum quæreret, & nullum tamen ejusdem capsæ dominum inveniret, cognovit quòd ipse Dominus dominantium tale servo suo contulisset beneficium. O donum nobile, datoris pietati, acceptorisque voto *consimile!* Ita, qui Deo sanctisque templum construere voluit, quid ad hujus supplementum, gratius aptiusvé acciperet à sancto sanctorum, quam reliquias sanctorum? harum vero tam pretiosum, tamque copiosum reperit in capsâ thesaurum, quantum eloquentia nostra ex-

prime-

